



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1856**

XXXVII. Rudolph, Herzog von Sachsen, bestätigt der Stadt Spandow ihre Rechte und Grenzen, am 13. August 1320.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54728)

nostri sigilli duximus firmiter roborandas. Testes huius donacionis sunt: dominus Nicolaus prepositus in Bernowe, fridericus de Alvensleue, Otto et Henricus Pincerne de scheynckendorpp, Johannes de Glyndenberch, Buffo de Mylowe, Hermannus de Nebedde, milites nostri, Thydericus noster prothonotarius et quam plures alii, quorum fides nullatenus est neganda. Datum Spandowe anno Domini Millesimo Tricentesimo Vicelimo, Tercia feria post dominicam letare.

Nach dem Originale des Geh. Staats-Archives.

XXXVII. Rudolph, Herzog von Sachsen, bestätigt der Stadt Spandow ihre Rechte und Grenzen, am 13. August 1320.

In nomine Domini Amen. Rudolphus, Dei gracia Dux Saxonie, Angharie, Westphalie, comes in Brene, nec non Puregravius in Magdeburgh, Omnibus Christi fidelibus presentes litteras visuris seu auditoris Salutem in Domino sempiternam. Ad rei geste memoriam sempiternam, que per oblivionem ab hominum eliduntur memoria, solent per scripture suffragia in lucem ut ab omnibus videantur revocari. Notum igitur esse volumus tam presentibus quam futuris, quod fideles nostros cives civitatis nostre Spandowe presentes et posteros in omnibus ipsorum iuribus ac proprietatibus, quibus hactenus gavisi sunt, illesos perpetuo volumus observare, ac predictae civitatis etiam cives presentes et futuri nequaquam debent extra civitatem ad aliquod trahi provinciale iudicium, sed si aliqui aut aliquis predictorum aliquem civium convenire in iudicio decreverint vel decreverit, statuimus firmiter et volumus, ut coram sepedicte civitatis prefecto aut sculteto respondeat, et faciat id, quod dictaverit ordo, id ipsum recepturus. Insuper quam subito telonium premisse nostre civitatis Spandowe a civibus in Berlin absolvetur, villa, que dicitur Stacken et inhabitatores ville ejusdem presentes et futuri ab omni telonio volumus ut esse debeant liberi et immunes. Statuentes etiam, quod omnes cives predictae civitatis Spandowe, qui sunt muro et plancis circumducti seu vallati, sub dicte civitatis jure, vigiliis et contributionibus nec non aliis consuetudinibus debent residere, excepto molendino et curia molendini et aggere infra castrum et civitatem, que nostris iuribus volumus subjacere. Insuper eidem civitati ex nostre gracie plenitudine indulgemus donando, ejusdem civitatis terminos distinguimus ita, versus orientem usque ad fluvium, qui Crowel dicitur, versus meridiem usque ad stagnum, quod Scarpelanke vocatur, versus occidentem usque ad fossam argille, versus septentrionem autem usque ad falicem et ad pontem qui Blockbrücke dicitur et usque ad silvam Staritz et usque ad montem Babe et usque ad fluvium predictum, qui dicitur Crowel, quos terminos sic distinctos precipimus firmiter ab omnibus observari. Namque excessus infra istas distinctiones commissos, prefectus dicte civitatis potest et debet iudicare cum civibus supradictis. In omnium predictorum testimonium evidens nostrum sigillum presentibus est appensum. Testes harum rerum sunt Dominus Nicolaus prepositus Bernowensis, Fridericus et Albertus Domini de Alvenslebe, Henricus de Koekeritz, Thidericus Greptitz, Thidike de Rebeke, Hermannus de Nebedde, Hermannus de Wederde, milites, Henike et Conradus fratres dicti Mosolff et quam plures alii fide digni. Datum Spandowe anno Domini 1320, Idibus Augusti.

Dilshmann's Geschichte Seite 186 Nr. 7.